

enim vero, ex quo S. Paulus genus armorum hujus speciatim nequaquam expressit, quidnam per hanc armorum intelligere oportebit? Discamus idipsum a S. Petro, dicente I, iv, 1: *Christo igitur passo in carne et vos eadem cogitatione armamini*. Etenim seria mentis applicatio ad devote contemplandam Christi Passionem, valida quaedam est armatura, ad retundendos omnes demonis ictus, omniaque illius stratagemata deludenda. Seraphicus Doctor ait: « Non erit qui contra me militare audeat, si Christi stigmatibus fuero consignatus. Ubique et semper habitabo in illis, ut sim quasi in castro, securus » ab omni impulsu maligno. »

e. — Lyranus verba hæc: Cum fortis armatus, etc., in sensu morali de peccatore obstinato exponit, qui peccatum, adversus eum a quo reprehenditur, obstinate defendit, prouti Saulem adversus Samuelem foecise novimus; qui tamen nonnullam per auxilium, et gratiam Dei vincitur, et superatur. « Aliquando, » inquit, « cum Dei adjutorio vincitur, qui aufert arma sua, id est, rationes quibus defendit peccata, et spolia distribuit, » quando ejus actus ad bonum convertit. » Tanta est enim Dei misericordia, ut variis utatur modis, quibus obstinatos etiam peccatores ad se pertrahat et convertat.

VERSUS 22.

Si autem fortior eo superveniens, vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, et spolia ejus distribuet

Si autem fortior eo superveniens.

1. — Glossa ait: « Fortiorem se vocat, qui non » concordii pacis et operatione, sicut calumniabatur, » sed fortiori potentia ipsum stravit, mundumque » ab ipsius dominio liberavit. » S. Bonaventura quoque quisnam hic potentior et fortior sit, his verbis declarat: « Fortior est diabolo divina fortitudo, » scilicet Christus Deus noster, iste supervenit, » id est, de supernis venit, secundum illud: *Qui de » caelo venit, super omnes est. Joan., iii, 31.* »

Vicerit eum

2. — S. Bonaventura victorem hunc Christum fuisse dicit: « Qui licet victus videatur, tamen vicit; » id quod a Jeremia, xlv, 12, clare predictum » fuit: *Fortis iniegit in fortem,ambo pariter conciderunt*, quia Christus corporaliter et visibiliter, » diabolus vero sempermentaliter, totaliter et irreverabiliter. »

Universa arma ejus auferet, in quibus confidebat.

3. — Dionysius Carthusianus per hæc arma, communis inimici nostri fraudes, dolos et stratagemata, quibus humanum genus seducebat, intelligit: » Versutas ejus fallacias, tentationumque machinamenta fallacis plena, quibus decipit homines

» compasset, detegat, superarique faciat ab electis; » id quod Apostolus hinc promiserat: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, et scorpiones et super omnem virtutem inimici. Luc., x, 19.*

4. — S. Bonaventura dicit: « Hoc fecit, quando » portas infernales confregit, secundum illud, *Psal. » cxi, 16: Quia contrivit portas areas, et veetes ferreos confregit.* » Et hæc quidem arma nos ipsi demoni suppeditamus, per nostrum in peccatum consensum. In cujus probationem idem Seraphicus Doctor, sequentem adducit Apostoli, *Rom., vi, 13, textum: Neque exhibentis membra vestra arma iniquitatis peccato.* Lucas Brugensis dicit: « Arma, » quibus munit regnum ne pereat, ut sunt peccandi voluptas, consuetudo, et cætera hujusmodi » relinacula. » Vel etiam, ut idem inquit, arma demonis sunt tentationes, et machinationes, quibus adversum nos prævalet. Albertus Magnus in eadem opinione consistens, optime observat arma isthæc vasa appellari apud S. Mattheum: « *Hæc dicuntur vasa, Matthæi, xii, 29, quia continent iram » Dei, et sunt arma impugnationis diaboli, quibus » expugnat alios; » idque *lib. I Regum, xviii, 31, præfiguratum fuisse videtur, quando David a Goliath arma ejus abstulit, ipsiusque gladio caput ejusdem detruncavit.**

Spolia ejus distribuit.

5. — Glossa ait: « Spolia sunt anima ab eo » cepta, quæ victor Christus distribuit, quod est » insignium triumphantis, quia *captivam ducens » captivitatem dedit dona hominibus.* »

6. — Dionysius Carthusianus per hæc spolia, peccatores intelligit, quos dæmon per tentationes suas vicerat, sibi compararat, atque creatori suo subtractos, dominio suo subegerat: « Hos Christus » per gratiam suam redemit, et demonibus abstrahit. » S. Bonaventura ait: « Hoc fecit, quando de » vasis contumelie fecit vasa misericordie. »

7. — Albertus Magnus qualiter Christus hæc arma, in quibus inimicus infernalis fiduciam suam collocatam habebat, eidem eripuerit, sequenti nobis exemplo declarat dum ait: « Sicut confidebat in » Saulo et litteratura sua, quem abstulit Christus, » *Act., ix, 15, dicens: Vas electionis erit mihi iste, ut » portet nonnem meum, etc.* » En igitur quale hinc Christus argumentum ellicerit: « Quicumque diripuerit vasa diaboli fortior illo est, et contrarius » illi, ego autem sic diripio, etc. »

VERSUS 23.

Qui non est mecum, contra me est, et qui non colligit mecum, dispergit.

Qui non est mecum, contra me est.

1. — Porro Christum cum inimico infernali mi-

nime confederatum fuisse Albertus Magnus, in *Luc.*, ostendit, et hæc ratione probat: « Quod non sit » mecum, patet, quia præsentiam meam non sustinet, sed est sibi tormentum. » Unde *Matth., viii, 29, lamentabantur demones, dicentes: Quid nobis et tibi, Jesu Fili Dei? Venisti hæc ante tempus torquere nos.*

2. — Beda, in *Luc.*, hæc Christum inter et dæmonem unionem esse nequaquam posse, aliis rationibus ex modo probat: « Ille cupit animas » hominum tenere captivas, Dominus liberare; ille » predicat idola, hic omnis Dei notitiam; ille trahit » ad vitia, hic ad virtutem revocat. » Unde nullam inter utrumque correspondentiam esse posse, evidentem consequitur: « Quomodo ergo possunt » habere concordiam inter se, quorum opera diversa » sunt? » Qui idem discursus totus quoque in S. Hieronymo reperitur.

3. — Lyranus, in *Matt.*, per aliam rationem idipsum convincit, dicit enim, voluntas ejus, qui alteri obedit, conformis semper est voluntati illius cui obedit, si non in intentione saltem in executione; quodsi igitur Christus opera et virtute demonis miracula operatus fuisset, ipsum utique in operibus suis ei consensisse manifeste sequeretur, quod tamen manifeste falsum esse constat: « Quia facta Christi » et doctrina, erant ad retrahendum homines a » peccatis; facta autem demonis sunt ad distraheadum homines per peccatum. »

Et qui non colligit mecum, dispergit.

4. — Dionysius Carthusianus, in *Luc.*, ait: « Hoc » est, homines ad Deum creatorem non reducit, » nec virtutibus unit, prout potest, et obligatur, » videlicet orando, docendo, seu exemplariter conversando; » *dispergit*, id est, a Deo avertit, atque » erroribus se atque alios, quantum est in se, implet. »

VERSUS 24.

Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca iniqua quaerens requiem, et non inveniens dicit: Recurrit in domum meam uide exiri.

Cum immundus spiritus exierit ab homine.

1. — Beda, in *Luc.*, verba hæc de cordibus a cogitationibus et phantasmatibus obscenis expurgatis exponit dicens: « Id est, corda fidelium, quæ a » mollitie fluxæ cogitationis expurgata sint, calidius » insidiator exploret, si quos forte suæ nequitie » gressus figere possit. » Lyranus pariter per hunc immundum spiritum ab homine exeuntem, appetitum carnalem penitentia mediante repressum intelligit: « Id est, peccati carnalis appetitus exierit per » virtutem penitentiae. » Appellatur autem spiritus immundus, non quod carnalem aliquam labem

contrahere possit, cum sit purus et merus spiritus; sed propter peccati turpitudinem atque immunditiam, qua quamlibet animam coquinare satagit.

Ambulat per loca iniqua.

2. — Sacra Scriptura nobis dæmonem velut in continuo motu positum describit, siquidem ut plurimum hæc phrasi uti solet: *Circuit*, unde idipsum ab eo impii discunt, de quibus dicitur, *Psal. xi, 9: Circuiti terram et perambulaverunt eam.* I Petri, v, 8: *Circuiti, quaerens quem devoret.* Immundorum spirituum est ambulare in circuitu, quia semper declinant ab itinere recto, longissime enim distat a recto circuitus.

3. — Didacus Stella discursum hunc, qui a præcedenti omnino diversus est, non ad Phariseos, nec ad populum aut turbas habitum fuisse dicit: « Sed » quantum ego existimo fuerunt dicta homini illi, » a quo dæmonium exierit, ut deinceps ad melius » a vite institutum rediret, et a peccatis cavere, ne » iterum in vomitu incidere. »

4. — Observat quoque idem Auctor, dæmonem nequaquam quocumque sibi libitum est eundi habere potestatem: « Observa quod dæmon expulso » ipse voluerit, sed quo mittitur. »

5. — Albertus Magnus, in *Luc.*, dicit: « Loca » iniqua, id est, a vitis et concupiscentiæ humore » arida. » S. Bonaventura per loca iniqua illas intelligit animas, in quibus locum non habet carnalis concupiscentia: « Propterea Virgo Maria, quæ » extinctam habuit omnino concupiscentiam dicitur » *Petra deserti.* Non autem requiescit diabolus nisi » in illis, in quibus invenit defluxus concupiscentiarum, quos quia non potest reperire in sanctis » viris afflictis et maceratis, ideo in eis non requiescit, sed fugit. »

Quærens requiem et non invenit.

6. — Per hanc quietem Albertus Magnus permanentiam in peccato intelligit: « Requiem, mansio- » nem per peccati quaerens requiem, et oblationem, si- » cut *Genes., viii, 7: Corvus requievit in cadavere.* »

7. — Toleus per hanc inquietudinem displicentiam intelligit, quam dæmon concepit, dum se animabus nocere non posse videt: « Quia studium ab » eibus ejus ac desiderium est nocere hominibus, » ubi igitur non invenit, cui noceret, requiem non » habet. » Lucas Brugensis similem habet expositionem, dum ait: « Quia tandem sibi displicet, animum » moque torquetur ac deserciatur, quamdiu extra » homines habitat, nec illos infestat. »

8. — Beda infernalem hunc spiritum nullum in cordibus et mentibus puris et castis aditum invenire dicit: « Bene dicitur, » inquit: « *Quærens » requiem et non inveniens*, quia castas mentes effugiens, in solo diabolus corde pravorum gratam

« sibi potest invenire quietem. Unde de illo Domini nus, *Job*, xl, 16 : *Sub umbra dormit in secreto a calami et locis humentibus*; » ubi per umbram ad conscientias obscuras alludit, id est, peccatis, quae *opera tenebrarum* appellantur, commaculatas; calamus autem, qui de foris splendet, cum tamen intus vacuum existat, fictio et hypocrisis intelligitur, loca denique humida et inaquosa lascivos et carnales homines denotant, in quibus omnibus daemon edificat.

Revertar in domum meam, unde exivi.

9. — Toletus ex his verbis acute arguit, quantum sibi demon quoad eos, qui semel ab eo subjugati fuerunt, promittere ausit : « Perpende conatum et studium demonis ad nocendum hominibus, et quantum sibi promittat in eos, quos semel subiecit. »

10. — Quoad sensum vero litteralem videretur S. Hieronymus in Feria IV post Dom. I Quadragesimae sub versu 43, ubi etiam in eodem Evangelio sub versu 44 multi horum verborum sensus tanguntur.

11. — Beda, in *Luc.*, dicit : « Timendus est ipse versuculus, non exponendus, ne culpa quam in nobis extinetam credebamus, per injuriam nos vacantes opprimat, » in hoc enim maxime arduo salutis nostrae negotio semper nobis timendum est et trepidandum, quia nisi cauti simus, ad relapsum valde faciles sumus. Albertus Magnus ait : « Reversio nequitiae iniquitatis. II Petri, ii, 22 : *Canis a reversus ad suum vomitum et sus lota in volutabro luti.* »

12. — Didacus Stella voces *domum meam* observat, dicens : « Suam vocat domum, non quidem per creationem quia solus Dei est, sed per possessionem. nem. Aspicit, o homo, quod cum in peccatum preceps tendis, vilissimo et alieno domino, tui ipsius imperium tribuis. » Neque enim diabolus se in aliam domum ire velle dicit, quia ei videbatur, quod in ea domo, unde exierat, porte sibi paterent, ad rebandum in eam denuo aditum : « Nam peccatorum experientia et fallacitas facit ut homines omnino deposito timore iterum ad peccata revertantur. » Porte enim semper tenentur aperte, quia sensus suos minime custodiunt, neque precedentium peccatorum occasiones e medio tollunt; ac proinde valde nobis advertendum est, ne ex eo, quod daemon a nobis recesserit, seu quod peccatum confessi fuerimus, securi nimium evadamus, quin potius opere pretium est, ut portas ipsi omnemque viam praeccludamus, ne ad nos denuo redire possit, idque consequemur, si a nobis preteritorum peccatorum occasiones et pericula submoveamus.

Additiones.

a. — *Cum autem spiritus immundus exierit, etc.* Ex hoc textu pulchrum nobis datur documentum,

videlicet quod scire nos oportet, quod licet daemon tentationes persaepe vicerimus, nunquam tamen de perpetua victoria securi esse debeamus, quia demon, ab insidiando nunquam quiescit et tunc nos vel maxime persequitur, dum nos securos esse conspiciat. Salvator noster omnibus sibi ab inimico infernali illatis ictibus gloriose declinat, omnem vicierat tentationem : *Consummata omni tentatione*. Eoquis autem sibi unquam persuadere potuisset, daemone adeo temerarium futurum fuisse, ut in iteratum cum illo certamen descenderet? Et tamen, S. Lucas Evangelista dicit : *Recessit ab illo usque ad tempus*, quia ut S. Ambrosius dicit : « Postea non tentaturus sed aperte pugnaturus venit. » Glossa Interlinearis dicit : « Usque ad tempus Passionis, quando non tantum dolis, sed aperte impugnavit; sic etiam nos ille antiquus hostis aliquando tentare intermittit, ut quasi securos repente rediens facilius irrumpat. » Valde considerabilis est phrasia illa loquendi qua S. Petrus, de hoc diabolico leone disserens utitur, dum ait : *Circuit*. Is namque qui in gyrum ambulat, quanto magis ambulando procedit, tanto propinquat ad terminum illum revertitur, unde recessit. Tale autem proprie est demonis iter; dum enim ab anima recedit, quam tentationibus fatigavit, tametsi se illum relinquere fingat, nihilominus tunc ei vicinius quam ante iterum appropinquat. Unde Venerabilis Beda ait : « Ipsi antiquus hostis, postquam menti nostrae tentationum certamen infixit, ab ipso certamine ad tempus recedit, non ut illatae malitiae finem praebet, sed ut corda, quae per quietem secura reddidit, repente rediens inopinatus irrumpat. » Optimum ergo, valdeque salutare est illud consilium Didaci Stellae dicentis : « Quando viceris, tunc timidior debes esse et expergefactus, nam iterum redit daemon, praeraturus tecum. Multoties contingit, ut utpole sagacissimus est ut se sinat vinci, ut postea melius vincat, ut facere solent, qui abacum et taxillorum ludum exercent, qui fingunt se perdere et parvam pecuniam quantitatem amittunt, ut postea majori lucro adversarium capiant. »

b. — Profecto expensione dignissimum est quod immundus spiritus, illuvie peccatorum squalidus; per legitimam poenitentiam ab homine peccatore expulsus, sic loca arida horreat, quasi ad aquas anhelet; imo quod nuper deserta se domo sordida, ad eam, per poenitentiam scopis mandatam, redire cupiat. Aquisne salubriter ablutam et scopis mandatam domum diabolus semel expulsus examinat? Insoletis plane videtur haec diabolica ad reditum appetentia. Quae enim est haec diabolica munditiae insolens ambitio? Moralissime Magnus Gregorius, III *Par. Pastoral.*, admonit. xxxii, ait : « Admonendi sunt, qui admissa plangunt, nec tamen deserunt, ut considerare sollicite sciant, quia flendo inaniter se muntant, qui vivendo

nequiter inquinant, cum idcirco se lacrymis lavant, ut mundi ad sordes redeant; et qui admissa plangunt, nec tamen deserunt, ponit gratia viros culpa se subijcit, quia et ipsam, quam flendo potuit impetrare, veniam contemnit et quasi in lutosam aquam seipsum volvit. Quia dum flentibus suis vite munditiam subtrahit, ante Dei oculos, sordidas ipsas etiam lacrymas facit. » Heu factens et immundum stagnum peccatum, ad cuius immunditiam, velut ad lutosam aquam, sic demon anhelat.

c. — Immundus spiritus daemon a Domino vocatur, ob particularem potestatem quam habet in homines immundos et carnales; sunt enim hi nidus et centrum demonis qui immunditia gaudet. Euthymius, in *Matth.*, vii, 31, inquit : « Ingressuntur autem daemones porcos, eos videlicet qui irrationabiliter conversantur et in ceno voluptatum volutantur, ac illos in perditionem praecipitant. »

VERSUS 25.

Et cum venerit, invenit eam scopis mundatam et ornata.

1. — Toletus Christum hisce verbis dicere voluisse scribit, quod demon animam ad se denuo recipiendam optime comprehendat esse dispositam et praeparatam : « Praeparatam suae habitationi, nempe virtutibus ac donis Spiritus Sancti carentem, vitiosque incubentem absque ulla emendatione. » Syriaca legit : *Scopatam et paratam*; Graecus vero : *Vacuatam*. Etenim hic proprie est ornatus et apparatus demoni gratissimus, si nimirum homo otio et pigritiae deditus existat, animaeque virtutibus omnibusque aliis operibus bonis sit destituta. Tametsi enim verum sit quod ipse immundus appetit : *Cum immundus spiritus, attamen domus ornata, scopata et polita summopere ipsi placet*. At vero sordes et immunditia, in quibus sibi maxime complacet, sunt nonnunquam ornatus profani, pompae et fastus, utpole quae communiter secum subinferunt superbiam, arrogantiam, otium, aecidiam, seu rerum divinarum fastidium et nauseam, voluptates et omnia alia vitia.

2. — S. Bernardus, *Serm. ii de Assum.*, aliam quamdam interpretationem adducit, dicens : « Quid est aliud quam fictio execranda, si peccata superficie tenus radas, non intrinsicse eradices. » Scopae etenim non mundat, nisi solum in superficie; non sufficit malos habitus, secundum exteriorum apparentiam subvertere, nisi etiam intrinsicse eradicentur : « Certus esto quoniam cum Luctifero intelligentiam, daemone ab obsessis corporibus pelleret, mox Christus se ab hac calumniosa imputatione expurgavit. Unde Lucas Brugenensis ait : « Dat intelligendum Salvator tantum abesse, ut ipse ope demonis, daemone expellat, ut ingenio prorsus

lere, sed ad illius sublationem solidiori et fortiori instrumento opus esse; hancque similitudinem ad mortalitatem applicans, dicit, quod una ex praecipuis causis cur tanta cum facilitate in peccata hactenus confessa et detestata denuo relabamur, sit mala consuetudo : « Consuetudo antiqua peccandi, quae ita fixius et tenacius animae inhaeret, ut etiam scopis mundes tuae animae peccata et illa fatearis, tamen mala et antiqua consuetudo efficit ut ipse daemon iterum animam possideat. »

4. — Lucas Brugenensis per hanc vacantem gratiae et amicitiae Dei ab anima ablationem intelligit, unde dicit : « *Vacuum*, id est, Dei gratia destitutum; quia vacui sunt spiritu Dei, id recipiendum diabolum parati sunt, cuius summae deliciae sunt inanis illa, quae divinae gratiae neglectum sequitur. »

5. — Hugo Cardinalis super Mattheum, qui, ut diximus, eandem historiam describit, dicit : « Nolite stare otiosi, quia ad domum vacantem, unde exivit, diabolus revertitur et habitat cum septem spiritibus nequioribus. » Didacus Stella idipsum considerans, quod scilicet S. Mattheus dicit, *invenit eam vacantem*, hanc nobis doctrinam proponit, dicens : « Hoc otium audaciam demoni tribuit, ut redeat in domum quam reliquerat. » Saepenum multis contingit quod facta confessione, dum a confessarii pedibus recesserunt, se in culmine gratiae et in statu, in quo amplius relabi nequeant, positos existimant : « Et propter otium et parvam curam, quam adhibet erga salutem animae, daemon statim revertitur, ideò Apostolus, *Eph.*, iv, 27, monet : *Nolite locum dare diabolo*; ille dat locum, qui non alieni rei studioso intentus est; nam in anima, aliquibus sanctis exercitiis implicata, daemon nullum habet locum. »

6. — Beda, in *Luc.*, per hanc munditiam, baptismum intelligit, cui tamen Christianus per opera bona correspondere minime satagit : « Hoc est gratia baptismatis a peccatorum labe castigata, sed nulla boni operis industria cumulatam. »

VERSUS 26.

Tunc vadit et assumit septem alios spiritus secum nequiores se, et ingressi habitant ibi, et sunt novissima hominis illius pejora prioribus.

Tunc vadit et assumit septem alios spiritus secum nequiores se.

1. — Postquam Pharisei Christum calumniati fuissent, quasi per secretam cum Luctifero intelligentiam, daemone ab obsessis corporibus pelleret, mox Christus se ab hac calumniosa imputatione expurgavit. Unde Lucas Brugenensis ait : « Dat intelligendum Salvator tantum abesse, ut ipse ope demonis, daemone expellat, ut ingenio prorsus

« contrari nihil æque desideret dæmon atque
« homines occupare, usque adeo, ut si ex quo ejectionis sit, modis omnibus redire studeat et septem
« potius alios secum inferat, quam ut iterum in
« expulsionis periculo versetur. »

2. — Beda per septenarium hunc dæmonum numerum, septem, imo omnia vitia et peccata intelligit, quorum vitiorum excessum Saluator :
« Nequiores esse dicit, quia non solum habebit
« illa septem vitia, quæ septem spiritualibus sunt
« contraria virtutibus, sed etiam per hypocrisim,
« ipsas se virtutes habere simulabit. » S. Bonaventura idem fictionis punctum his verbis tangit, dum ait :
« Sunt septem simulationes, quæ virtutes esse
« se simulat et mentiuntur, qui ideo sunt nequiores
« vitis apertis, quia majorem habent malitiam per
« versitatem; » adducitque quamdam S. Augustini sententiam, dicentis :
« Simulata æquitas non est
« æquitas, sed duplex iniquitas. »

Et ingressi habitant ibi, et sunt novissima hominis illius pejora prioribus.

3. — Valde considerabilis est dictio illa, *habitant*, quia permanentiam denotat et stabilitatem. Enimvero quando inimicus infernalis animam aliquam præ manibus habet, quam antea amiserat, eam adeo stricte sub suo jugo retinere studet, ut evadere nequeat, efficit enim, ut incatenetur, magisque quotidie habituetur in peccato. Unde Albertus Magnus, in *Luc.*, ait :
« Habitant ibi morando per consuetudinem. »

4. — Dionysius Carthusianus verba hæc de recidivis intelligenda esse scribit :
« Moraliter explanatur de quolibet homine recidivante, sunt novissima illius pejora prioribus, vulnera enim repetita sunt periculosa tam in corpore quam in anima. » S. Augustinus occasione horum verborum, miseram illorum deplorat conditionem, qui relicto semel mundo ad eundem denuo revertuntur :
« Significat Christus quosdam ita credituros, « ut ferre non possint labores continentiae et ad seculum redditus sunt. » De hisce in Epistola cxxxv, ita scribit :
« Simpliciter fateor coram Domino Deo nostro, qui testis est super animam meam, « ex quo Deo servire cepi; quomodo difficile sum expertus meliores, quam qui in monasteriis profecerunt, ita non sum expertus pejores, quam qui in monasteriis ceciderunt. »

5. — Tertullianus, *lib. de Penit.*, de recidivis ita scribit :
« Penitens dum in pristina peccata relabitur, eaque quasi canis vomitum relambit, diabolus Domino preponit. »

6. — Lyranus aliam quamdam tangit circumstantiam, ex qua culpa hæc aggravatur, dicens :
« Quia propter ingratitudinem doni penitentiae præcedentis, aggravatur peccatum. »

7. — Chrysostomus quoque, *Ser. de lapsu primi*

hominis, per efficaciam quædam et intelligibilia motiva, nec non per similitudines quasdam, nos, ne facile in pristinam relabamur peccata, his verbis admonet :
« Noli peccare post veniam, noli vulnerari post curam, noli sordidari post gratiam; cogita graviorem culpam esse post veniam, renoculum valum vulnus pejus post curam, molestius hominem sordidari post gratiam. » Quot sunt vulnera quæ facta sunt letifera et irremediabilia, quia obducta cicatrix denuo sauciata fuit? Quanto periculosior est voluntarius in infirmitate relapsus ea infirmitate qua ante fuit obnoxius! Hac eadem similitudine utitur S. Cyrillus Alexandrinus, *lib. V in Joan.*, dum ait :
« Quinimo relapsus in aegritudinem periculosior esse solet et exitio propior, quam prior ille languor, » ille namque naturam invenit ex præcedentis mali violentia dejectam et depressam adeo, ut nec quicquam valeat resistere :
« Haud secus frustra penitentiae medicamentum « sumitur, si post eam peractam ad præterite vitæ « sordes reditur. » Hoc eodem monito coelestis protomedicus Saluator noster paralyticum illum præmunit, postquam illum jam sanaverat, *Joan.*, v, 14, a paralyti animæ et corporis :
« Noli, inquit, amplius peccare, ne deterius tibi amplius contingat. Et ideo magnus ille spiritualis vitæ magister S. Bernardus, *Serm. lxxv in Cant.*, tantopere omnibus, qui per penitentiam resipuerunt, stabilitatem et firmitudinem in amicitia et gratia Dei commendat, ne ad vomitum denuo fiat regressus :
« Times quidem pro accepta gratia, amplius pro amissa, longe « plus pro recuperata. » Et quidem ut utilissimum hocce monitum tanto nobis firmitus imprimat, efficaciusque persuadeat, paulo post subdit :
« Jam si « gratia propitiata redierit, multo magis tunc timendum, ne forte contingat recidivum pati, juxta « illud : *Jam amplius noli peccare, ne deterius tibi « contingat*, audis reincidere, quam incidere deterius? Proinde invalescente periculo, invalescat et « metus. »

AdDITIONES.

a. — *Tunc vadit et assumit*, etc. Juste miramur, cur hic malus dæmon, qui hunc hominem possidere cœperat, rationis ac virtutis arce a vitis expugnata advocet et secum assumat demones nequiores se. An quia homo ille jam vacans et otiosus, a plurimis, ipsisque nequioribus diabolis agi videtur? Quasi otium conferat eam dæmonibus opem, ac si illos potentiores et nocentiores redderet? Nempe malus dæmon totius gehennæ incendio torretur et omnibus inferorum cruciatur tormentis, nihilominus audacter quærit requiem, et tot ærumnarum levamen. Ubinam vero? Peropportune Hugo, hominem desiderem et otiantem affirmat esse diabolorum requiem, sic super, *Jerem.*, 11, scribens :
« Nolite stare otiosi, quia ad domum vacantem « unde exivit diabolus, revertitur et habitat cum

« septem spiritibus nequioribus et sunt novissima « hominis illius pejora prioribus. Unde, *Matth.*, xx :
« *Quid hic statis tota die otiosi?* Hieronymus :
« Ne te « diabolus inveniat otiosum. » Scilicet homo vacans et otiosus, ita adulatur vitis, sic obsecundat malo dæmoni, ut diabolus sit apta habitatio, ac dæmonis requies. Unde dæmon quærens requiem, habitat in homine otiante et vacante, tanquam in centro suo. Aut si mavis, sic accipe, commentationem Hugonis, ut homo otians sit dæmonis requies, quia dæmon aut nihil ant parum laborat in illo tentando :
« Otiositas enim pro demone tentatore est, jure namque cessat dæmonis astutia ad tentandum, ubi otiositas sagaciter, perniciosa instigat otiosum ad omnes nequitas. Sic est otium fomentum et incentivum tentationum, pravarumque immundarum cogitationum seminarium, improbitatis et vitiorum fons, ruina virtutum. »

b. — Ut hostis capitalis per contrariam vim in assultibus repressus, acrioribus famulis pugnam instaurat, ita diabolus per penitentiam semel ejectionis, per penitentiam, majoribus technis requiem in anima hominis exoptat. Quem cum ad recidivum impulit, requiem quam quærebat invenit.
« Hic vero recidivus peccator, non leviter in Dominum peccat, qui cum emulo ejus diabolo penitentiam renuntiasset, et hoc nomine illum Domino « subjecisset, rursus eundem regressu suo erigit « et exultationem ejus, seipsum facit, » ait Tertullianus, *lib. de Penit.*, cap. iv. Per relapsum enim demon corroboratur et majorem vigorem nanciscitur, hosque relabentes sub tyrannidem suam magis adstringit, ne suis unguibus relabatur. S. Bonaventura varia recenset damna, in quæ recidivantes incidunt; e quibus tertium est quod scilicet :
« Diabolus difficilior est ad expellendum; tunc enim assumit diabolus septem spiritus nequiores « et ingressi habitant ibi. » Præterea peccator recidivus amat vincula sua, sique libenter adstringitur, id est, magno fertur amore erga efrænes appetitus suos :
« Funes enim peccatorum suorum « unusquisque, cum gaudio, constringitur. » Et quidem tametsi etiam catenarum suarum gravamen sentiret et cognosceret, valdeque ilibenter in carcere illo degeret, quis est a quo auxilium sperare posset, ut egrediretur? Certe alius præterquam Deus, illum liberare non poterit; jam vero ex quo recidivus factus est Deum se non curare, imo illum diabolo postponisse satis ostendit. Tertullianus hanc observat injuriam quam peccator Deo irrogat, quando post receptam peccatorum remissionem, demo in pristinas offensas reincidit; unde scribit :
« Ita, qui per delectorum penitentiam instituerat « Domino satisfacere, diabolo per aliam penitentiam penitentiam satisfaciet. » Verum audite, quamnam inde deducat consequentiam; subdit enim :
« Eritque tanto magis perostus Deo, quanto

« emulo ejus acceptus. » Verum enimvero dæmon ad ligandum arcibus recidivum, ne evadere possit, his quoque aliis nititur artibus videlicet plura procurat vincula et catenas, quibus antea innoxius non fuerat; nimirum varia et proponit voluptatum leucina, illumque allicit per quævis gaudiorum et recreationum genera quæ desiderare possit; efficitque ut licet hæc sint funes, catenæ et vincula, quibus anima in inferni carcere constringitur, ut inquit Psalmista, *Ps. cxxviii*, 61 :
« *Funes peccatorum circumplexi sunt me*, cæcus tamen peccator illa amet et libenter amplectatur; ac proinde dæmon, astutus ille adversarius, tanto libentius et in majori abundantia hæc illi procurat.

c. — S. Augustinus, *lib. I, q. q. Evang.*, viii, hæc verba :
« *Et sunt novissima hominis illius pejora prioribus*, de fidelibus interpretatur, qui per penitentiam abiit, ut canes ad vomitum et sues ad volutabrum revertuntur. Quibus pro septenario Dei Spiritu, sunt septem nequissima dæmonia quæ tandem in omne scelus eos præcipitant. « Qui enim, » ait Theophylactus, « priori supplicio non est emendatus, ad majora tormenta servatur, tanquam insensatus et contemptor. Sicut enim peior est morbo recidiva morbi, ita peior est culpa recidiva culpæ. » Quare subintrat S. Chrysostomus :
« Indulgentiæ ingratus est, qui post veniam peccat, « sanitale indignus est, qui semetipsum postquam « curatus est, vulnerat, nec mundari meretur qui « semetipsum, post gratiam sordidat. » Ecce tibi quantoque sit ejus culpæ enormitas, ob quam sic acerbè castigatur, non solum tanquam insensatus benefactoris contemptor, sed quia et difficilior culpa resurgit.

d. — Dicuntur dæmonia nequiora, ait Toletus, non solum quia seclerata, sed etiam quia fortiora et promptiora erant ad nocendum et torquendum, ac ad peccata et scelera provocandum ut homo ille nocentium gravius, et in anima, et in corpore pateretur, fierentque novissima pejora prioribus. Non satis erat dæmoni arcem mentis et virtutis expugnasse in hoc homine, ac vitis occupasse, nisi et versute nequiores se ad nocendum amplius in auxilium advocaret. Quæ omnia, Domino permitte, facta sunt, ut ex eventu pateat quam sint crudelēs, quamque crudeliter cum homine agant, quo inde excitati, eos summo odio prosequamur, ipsosque et eorum tentationes fugientes, minime eorum suasionibus et conciliis acquiescamus, sed tanquam juratis inimicis resistamus.

VERSUS 27.

Factum est autem, cum hæc diceret : Extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi : Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suristi.

Factum est autem cum hæc diceret.

1. — Valde considerabilis est illa temporis circumstantia, in qua Spiritus Sanctus hujusce mulieris linguam in Christi laudes sese exerere fecit, nimirum tunc quando paulo ante in totius populi conspectu tanquam Magnus, qui cum demonibus communicaret, proclamatus fuit : In Beelzebub principe demoniorum ejecit demonia. Ecce tibi, quam sit divina providentia in reparando dilectissimorum amicorum suorum laso honore, inque illis ab invidia, odio, perversorumque calumniis defendendis sollicita, zelosa et provida.

2. — Didacus Stella, in Luc., ait : « Non est dubium, nisi quod audientes hæc Pharisæi cruciantur, bantur, solet Dominus invidios alieni boni torquere, augendo eis bona, quibus invident. » Neque enim Deus Pharisæicam hanc invidiam solum per patrata miracula, nec non per suppliciorum prædicationem torquere, verum insuper Christi laudes et gloriam cum totius populi applausu, per sanctam hanc mulierem exaltare voluit.

3. — Toletus observat, quod : « Efficax iste et copiosus Christi sermo, nullum fecit fructum in calumniatoribus Pharisæis ac Scribes, sed in una quâdam muliere et quidem de media plebe, in illorum confusionem et damnationem. »

Extollens vocem.

4. — S. Bonaventura generosum virilemque hujus mulieris animum magnopere admiratur, utpote quæ divinitatem Christi, ejusque sacratissimam humanitatem in conspectu Pharisæorum, qui adversus eum conjuraverant, publice laudare non dubitavit : « Virilitas notatur in hoc, quod vocem extollebat, secundum illud, Isa., xl, 9 : *Exalta in fortitudinis vocem tuam, qui evangelizas in Jerusalem.* Ex quo apparet, » inquit paulo post, « quod laudator divini nominis non debet esse timidus, et ut laudare non audeat, nec timidus ut laudare erubescat. » Ad idem quoque propositum optime nobis inservit dictum illud Theophylacti, super illa verba, Joan., vii, 37 : *Stabat et clamabat : Si quis similis, etc.* « Clamavit Jesus, ut libertatem suam in dicendo manifestaret, quod nullum metueret. » S. Bernardus quoque ad Eugenium Papam, lib. IV de consider., ita loquitur : « Hanc velim in generalibus consuetis regulam, ut omnem, qui palam veretur dicere, quod in aure locutus est, suspectum habeas. » Hanc quoque mulieris illius libertatem in dicendo Beda admiratur, dicens : « Tanta ejus incarnationem sinceritate cognoscit, tanta

« fiducia proficitur, ut et præsentium procerum « calumniam et futurorum confundat hæreticorum « perfidiam. »

5. — Toletus quoque mulierem hanc omnes exhibuisse humanos respectus observat : « Non erubuit, nec timuit palam et alta voce inter medicos calumniatores, qui ab omnibus magnificabant et Doctores habebantur, vocem extollere et Christum mirifice laudare. » Quando enim fides vitia in Christum in nobis urgere incipit, huicque simul ardens in illum amor conjungitur, omnis respectus et interesse mundanum calcatur et os nostrum etiam cum mortificatione nostra in veritate obsequium aperitur. Unde advertendum est, quod regius Propheta David, Ps. cxv, 10, primo præmittit hoc verbum, *Credidi, et statim subjungit : Propter quod locutus sum, ego autem humiliatus sum nimis.* Interlinearis inquit : « Magna fiducia inter blasphemos confiteri Dei Filium. »

Quædam mulier.

6. — Albertus Magnus refert, nonnullis opinari mulierem hanc ancillam fuisse S. Marthæ Christi hospite, eamque Stellam fuisse appellatam, et post mortem et resurrectionem Salvatoris una cum SS. Maria Magdalena, Lazaro, Marthæ et Maximimo mari impostam, trajecisse Massiliam : « Cujus nomen significat illuminationem radiosam cognitionis ipsius. Hæc etiam fuit una de stellis, quæ sicut dicitur, *Judic., v, 20 : Contra Sisaram pugnaverunt, qui Pharisæos commovit in blasphemiam, hoc est, contra diabolum.* »

7. — Lyranus ab Alberto quoad mulieris hujus nomen, non vero quoad personam dissentit : « Ista a sanctis Doctores dicitur fuisse S. Marcella, « famula B. Marthæ sororis Lazari. »

8. — Albertus Magnus mulieris illius considerat sexum, cæteroque debilem : « Cum esset fragilis sexu, terrore blasphemantium non est perterrita ; » adducitque auctoritatem S. Ambrosii, dicens : « Quanto infirmus vasculum, quod reperitur ex hoste triumphum, tanto majori opprobrio diabolus induitur, tanto durior militiæ nostræ Christus jucundius impugnantibus suis delectatur. » *Judith., xiv, 16 : Una mulier Hebræa fecit confusionem in domo Nabuchodonosor Regis.*

9. — S. Bonaventura ad verba illa S. Lucæ : *Quædam mulier de turba, se reflectit, dicens : « Non tatur conditio in persona laudante : Modicitas, « quod quædam mulier non nominata, nec nobilis, « sed de turba, ut impleverit illud, Ps. lxxviii, 21 : « Pauper et incipit laudabant nomen tuum, »* denum vero Seraphicus Doctor discursum suum in hujus devotæ mulieris laudem dirigit, eique dicit : « In te verificatum est illud *Eccli., xxvi, 24 : Fundamenta eterna supra petram solidam, sic mandata Dei in corde mulieris sanctæ.* » Albertus Magnus

dictionem hanc quædam, hæc Glossa expendit : « Quædam dignitate singularis, quamvis conditione « humiliis. » Porro de muto et surdo, qui a Salvatore miraculose sanatus fuerat, non constat, quod vel verbum in gratiarum actionem, vel in Christi laudem, vel in ejus ab impacta calumnia excusationem, vel defensionem locutus fuerit, tametsi summus ejus fuerit benefactor, et ecce pauperula quædam ancilla, a densissima hac turba prosiliit in medium, ut Dei innocentiam justificet, eamque a tot in eandem impio ore prolatis calumniis redimat ; at vero dicit aliquis, cur ad Filium Dei a falsis hisce calumniis extimendum Deus non excitavit linguam unius ex famosissimis totius Hebræismi oratoribus ? Cur hoc fine non est usus Nathanaele legis Doctore, vel Nicodemo eximie auctoritatis viro, vel S. Joanne Apostolo et sublimi Theologo ? Cur os pauperis ejusdem muliercule, imo ancille in hanc rem adhibere voluit ? I Cor., i, 27 : *Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia ;* ut philosophos, oratores et totius universi Imperatores et Monarchas convinceret et ad fidem perduceret, pauperibus et egenis usus est piscatoribus ; ut Pharaonis et Ægyptiorum fastum arrogantiamque reprimeret, adhibere voluit ranas, cinipides, muscas : « Ecce quales instruit acies, » inquit Rupertus Abbas Tuitiensis, « ex hujusmodi cohortibus contra fortes Ægyptios « composuit acies ; » præterquam quod simplex hæc muliercula in prohibitione testimonii de ejus incarnatione minus suspecta esse poterat ; siquidem cum simplicibus sermoneis ejus, satis enim evidens erat, eam id non a se, sed ex speciali cœli inspiratione eloqui.

10. — Neque Apostolis et discipulis ejus animus sufficiens erat ad Magistrum suum ab hac calumnia liberandum, ideo mulier hæc vice ipsorum in medium prodit. Merito sancta Mater Ecclesia de hoc sexu ita canit : « Pro devoto femineo sexu, » verissimum namque est, quod devotio huic sexui proximissima sit et velut innata, sicut et amor erga Deum. Magnanimitas fuerunt, generosæque mulieres, quæ ipsam in Passione ejus secute sunt, imo quæ et eidem in erese pendenti fideliter assisterunt, cum tamen de Apostoli Evangelium, *Math., xxvi, 56, dicit : Omnes relicto eo fugerunt.* S. Hieronymus ipsorum ad sepulchrum usque constantiam et perseverantiam considerans, dicit : « Ut erubescant « viri non querere, quem tam fragilis sexus inveniat. »

11. — Beda in homilia, quam per anni circulum ad Matutinum persæpe legimus, hanc mulierem Ecclesie tyrum fuisse ostendit : « Extollamus, » inquit, « vocem cum Ecclesia catholica, cujus hæc mulier tyrum gessit ; magna devotionis et fidei hæc mulier fuisse ostenditur, quæ Scribes et Pharisæis Dominum tentantibus simul et blasphemantibus, tanta ejus incarnationem præ omnibus

« sinceritate agnoscit, tanta fiducia confitetur, ut « et præsentium procerum calumniam et futuro- « rum confundat hæreticorum perfidiam. »

Et turba dixit illi.

12. — Porro experientia ex Evangelii lectione clare satis demonstrat, turbam et plebeios ad Christi sequelam magis inclinatos fuisse, quam primates, majorique fuisse fidei et devotione ardentem, id quod ipsimet primates testantur, dum ita interrogant, *Joan., vii, 48 : Numquid aliquis ex principibus credit in eum ? Sed turba hæc ;* qui enim in hoc mundo minori felicitate gaudent, qui minus aliis sunt honoribus consuevi, hi vel maxime Christi sequete et imitationi se consecrant.

13. — Albertus Magnus notat verbum illud : *Dixit illi ;* et dicit : « Cor ipsius intentum erat ad « ipsum et blasphemantes profanos reputabat et qui « indigni essent allocutione ipsius. Et ideo non eis, « sed Christo dixit ; audientibus tamen illis, « confundentur. *Psalm. xxxviii, 26 : Induuntur « confusione et reverentia, qui maligna loquuntur « super me.* »

Beatus venter, qui te portavit, etc.

14. — Enimvero mulier isthæc Salvatorem nostrum a calumniis ei impositis justificare et defendere volens, operæ pretium factura videri potuisset, si Pharisæis calumniarum suarum falsitatem, gravitatemque blasphemiarum ipsorum ob oculos posuisset, impietatemque et sacrilegium ipsorum acriter exprobrasset ; id tamen nequaquam fecit, sed loco hujus ex prudentissimo consilio, se ad humanitatem et divinitatem Christi laudandum accinxit ; hoc enim faciens, simul et eodem tempore pro Christi justificatione manifestum perhibebat testimonium, suumque ostendebat plusquam virile iudicium et sapientiam, non aggrediendo officium aliquod sexui, conditioni et professioni suæ adeo improprium, quale erat, corrigere, docere Doctores, et synagogæ suprema capita confutare ; suam quoque in eo prudentiam probavit, dum ignem odii et invidiæ, quæ erga Salvatorem exardebant et stimulantibus, magis adungere noluit. Insuper quia illos ex tali reprehensione parum profecturos cognovit, multum se meritatum suum se zelo satis facturam esse existimavit, si ita Filium Dei ab objectis ei calumniis justificaret, ut Pharisæos injuriando aut exasperando, charitatem non ledere.

15. — Porro de Virginis Matris utero in sacris Canticis, iv, 13, prædictum fuit : *Emissiones tuæ Paradisus,* non solum, quia in eo verbum æternum, quod objectum est beatificæ visionis, opera Spiritus Sancti incarnatum fuit, verum etiam quia ibidem in beata Christi infantis anima per novem mensium decursum reclusa fuit cœlestis Paradisi beatitudo et gloria ; adeo ut de sacratissimo Virginis utero,

colum in eo empyreum latuisse, dici possit; imo de eodem utero canit sancta Mater Ecclesia: « Quem cœli capere non poterat, tuo gremio contulisti; » denique omnis gratia, quæ semen est et pignus gloriæ, omnia Redemptoris merita, quæ adæquatam sunt beatitudinis æternæ prælium, in sacrosancto hoc arario fuere deposita. Unde S. Bernardinus Marianæ gloriæ cumulum hinc verbis admiratur: « Ut intra Trinitatis gloriam ipsa sola sit electa, ut plus beatissime Trinitatis diligat gloriam, capiat, sentiat et fruatur, quam omnis alia pura creatura simul sumpta, de cujus gloria post Filium participant universi. »

16. — Porro Toletus causam nobis declarat, cur solius matris mulier illa mentionem fecerit: « Insigniualit enim Spiritus Sanctus per mulierem hanc Christum per carnem, ratione cujus portabatur in ventre et lactabat ubera, non habuisse patrem, sed matrem solum. » Christum quidem beatum esse expresse directe non dixit, sed verba a se prolata ad genitricem ejus direxit: « Sic enim Christum magis laudabat, quæ talem ac tantum prædicabat, ut matrem efficeret beatam. Perpende, quam opposita et contraria calumniatoribus mulier ista profert verba. »

Additio.

a. — *Beatus venter qui te portavit*, etc. Sicut semen, ait doctissimus P. Joannes de Sylveria, in terram jectum, fert fructum, juxta bonitatem et malitiam ipsius terræ, in quam cadit, sic illa cœlestis Christi doctrina, non in malevolis et detractoribus Scribis et Phariseis, sed in una simplici, devota, ac dolo carente muliere, fructum edidit. Quamvis enim mulier esset circumsepta doctoribus, ac legis magistris, non tamen veretur, nec timet, sed alta voce et tota contentione, qua poterat, admirata Christi patientiam in tot blasphemis sufferendis, clamat et turba et Filium Dei confitetur. Ubi advertit, quod hæc mulier Christum Dei Filium non agnoscit, quando celebre illud operatus est miraculum, bene tamen, quando illum tanta cum patientia blasphemias sufferentem vidit. Per hanc enim se Dei Filium esse demonstravit. Regius quidem Propheta David, æternum Patrem his verbis Filium suum introducit alloquentem: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu; ego hodie genui te*. Non tamen tempus et occasionem exprimit, per quam Pater æternus ad id dicendum motus fuerit ac proinde quandonam id dictum fuisse existimatis? Num forte in Incarnatione? aut vero quando in Baptismo ipsum Filium suum dilectum esse genibus manifestavit? Vel in Transfiguratione? aut resurrectione? vel in quadriduani Lazari resurrectione? Minime genitum; sed in Passione ejus, ipsum Filium suum esse, predictis verbis declaravit; nam postquam Psalmista dixisset: *Quare fremuerunt*

gentes et populi meditati sunt inania? Quare astiterunt reges terræ et principes convenerunt adversus Dominum et adversus Christum ejus? paulo post subdit: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu; ego hodie genui te*. Ubi S. Hilarius notat inquiring: « Id quod nunc in Psalmo est: *Filius meus es tu; ego hodie genui te*, non ad Virginis partum, neque ad lavacrum regenerationis, sed ad primogenitum ex mortuis pertinere, apostolica auctoritas est. »

VERSUS 28.

At ille dixit: Quinimo beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.

At ille dixit: Beati qui audiunt verbum Dei.

1. — Toletus Tili Bostrensis adducens auctoritatem, mysticam valdeque opportunitam hanc Christi responsum fuisse dicit: « Nempè quando multi erant, qui eum non solum non audiebant, sed etiam eos, qui audiebant, arguebant, in jus vocabant et damnabant. » Pharisei contemptum divini verbi, quem admiserant, improperare, simulque ex altera parte ejusdem divini verbi sedulos auscultatores consolari volebat. Cajetanus, in *Luc.*, ait: « Hoc est, curam habent verbi Dei, ne in vanum audierint, sed in corde, in ore et in opere servaretur. »

2. — Glossa sensum, quem Filius Mariæ erga eam tantopere venerabundus in horum verborum prolatione habuit, declarat dum ait: « Quasi dicat: « Non solum laudanda Maria, quia Verbum Dei portavit in utero, sed maxime beata est, quia præcepta Dei servavit in opere. » Albertus Magnus in hujus textus expositione hanc propositionem habet: « Christum beata Virgo corporaliter non genuisset, nisi prius verbum aure cordis concepisset, et custodivisset, quasi gestans ipsum in cordis utero. »

3. — Dionysius Carthusianus, *ibid.*, ait: « Christus his verbis conceptum sui spiritualem prætulit conceptui corporali, ita ut nec Virgini gloriosa profuerit ad salutem, esse carnalem Filii Dei matrem, nisi et vere devota fuisset, et Christum in mente spiritualiter concepisset. » Unde hanc elicit doctrinam moralem: « Unde et nos de aliorum quorumlibet propinquorum sanctitate non præsumamus, quod prosit nobis, nisi illorum virtutes sectari curemus. » Porro celebre est illa S. Augustini auctoritas, dicentis, *lib. de S. Virginitate*: « Materna propinquitas nil Mariæ profuisset, nisi felicius Christum corde, quam carne gestasset: beatorum ergo Maria percipiendum fidem Christi, quam concipiendum carnem Christi. »

4. — Christus utique predictis verbis seu responsum suum se nequaquam laudibus et gloriæ Virginis contrarium esse, indicare voluit, quin potius

occasionem hinc sumpsit, eorum commendandi et extollendi merita, qui in Dei verbo auscultando assidui existunt, namque pariter exhibere humilitatem et modestiam, ex laudibus sibi attributis non evanescente, sed ea se minime facere demonstrando.

5. — S. Hilarius, in *cap. iv Math.*, prædicatoribus Evangelicis hoc præconium attribuit: « Eternitatis velut satores, immortalitatem omnibus hominibus, quibus eorum sermo aspersus fuerit, conferentes. » S. Jacobus Apostolus, *1, 21*, de Verbo Dei dicit: « *Suscipiet insitum verbum, quod potest salvare animas vestras*. Verum quidem est, quod immediate subjungat: *Estote factores verbi, et non auditores tantum*. Ipsissimum Dei incarnatum Verbum, *Jean.*, *v, 24*, verbis et æternæ veritatis promissionibus se declarat, dicens: *Amen, Amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, habet vitam æternam*; equidem si talem suo tempore vitam æternam habiturum esse dixisset, verborum illorum intelligentia utique facilis fuisset; at vero quam ratione illi de presenti et actualiter vitam æternam habere salva veritate dici poterunt? S. Bonaventura ait: « *Habent in spe vitam æternam*; » siquidem pignus vitæ æternæ actualiter possident, quia *vivunt in presenti vita gratiæ*; quisquis enim verbum Dei libenter auscultat, illudque in affectum ponendo conservat, securus est, quod divinam gratiam minime perdat, utpote quæ non nisi per culpam amitti valet; et ideo David secure dicebat, *Psal. cxviii, 11*: *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi*.

Et custodiunt illud.

6. — Cajetanus optime hoc loco nos monet, non vocari hic beatos illos, qui verbum Dei solum auscultant, sed addit, *et custodiunt*; idque non in tempore præterito, sed per verbum presentis temporis enuntiat: « Non dicit, quia audierunt et custodierunt, sed qui *audiunt et custodiunt*, ut intelligamus solos perseverantes audiendo et custodiendo esse beatos. »

7. — Glossa pariter hoc Christi monitum mentibus nostris his verbis imprimere satagit: « Beati

sunt, qui verbum Dei auditu fidei concipiunt, et boni operis custodiam in suo vel proximorum corde pariunt et nutriunt. »

8. — S. Joannes in principio Apocalypseo eos, qui prophetias libri illius audiunt, legunt, et conservant, beatos appellari audit: *Beatus qui legit et audit verba prophetiæ hujus, et servat ea, quæ in ea scripta sunt*.

9. — Quando Christus Matthæi, *xii, 50*, discipulos suos glorioso illo Matris et fratrum suorum titulo honorare dignatus fuit, dixit: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, et soror, et mater est*. Apostolus quoque ad Romanos, *ii, 13*, nos monet, dicens: *Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur*. Deus ipse quoque in libro Exodi, *xix, 5*, populo suo dixit: *Si ergo audieritis vocem meam, et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculum de cunctis populis*; ubi Rupertus Abbas notat, dicens: « Non dixit tantum: *si audieritis*, sed, *si custodieritis pactum meum*, quia profecto non auditores legis justificabuntur, sed factores. »

Additio.

a. — *Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud*. Auditibus mulieris verbis et ei respondens Dominus, sumit occasionem, non ad se suamque Matrem commendandam, sed ad sublimandam Dei verbum, custodiamque illius, utpote doctrinam omnibus pernecessariam; unde ait: *Quinimo*; pro quo S. Augustinus legit: *Immo, Jansenius, certo, Euthymius, vere dico vobis*. Non negat Dominus, Matrem suam esse beatam, sed ait beatiores esse qui verbum Dei audiunt et custodiunt, hoc est opere adimplent. Nam esse matrem Christi, quamvis sit magna dignitas, per se tamen est gratia gratis data, quæ non facit animum gratum charumque Deo. Deinde esse matrem Dei, præcisè et per se, non valet adducere ad regnum cœlorum, in quo vera beatitudo sita est; ac custodire verbum Dei perseveranter, usque ad finem vitæ, perducit hominem ad visionem Dei ac æternam vitam. Et ideo evidens signum, aliquem electum esse ad gloriam, est si verbum Dei libenter auscultet et opere adimpleat.